Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1643
Quelle:
Copyright:

galieno ab arabico in latinum translatus. Accedunt VII. *Signa lepre*, quorum 1. *Puluis plumbi ponatur suauiter super vrinam, et* (si) *supernatauerit, leprosus est, si autem ad fondum descendat, non.*

XIII. *fol.* 141. *Incipit tractatus aduerrois de generatione animalium.* Initium: *Aristotiles in Libro de generatione animalium, quod cum uirile sperma spumosum exeat* &c. Extant *Averrois* Commentarii in Opera *Aristotelis* latine versi in horum Operum Edit. *Veneta Juntar.* 1562. 8.

XIV. *fol.* 143. p. 2. *Incipit anathomia galieni scripta. Anno domini M° 300mo. 15mo.* Initium: *Galienus in tegni testatur quod quicunque cognitor membrorum interiorum fieri desiderat, in anathomijs esse eum diligentem oportet* &c. Non igitur Tractatus hic *Galeni*, sed ad mentem *Galeni*, inter cujus Scripta, ut notum, plura Anatomica sunt, exaratus est. Τεχνν ejus ἰατρικνν ignorantia medii aevi in *Tegni* corrupit. Partes Opusculi sunt: *De membris in genere. De diuisione Membrorum. De Anathomice Membrorum animatorum et inanimatorum. De anathomice membrorum spiritualium. Pulmonis. Nutritiuorum Membrorum. Genitalium. Matricis.*

XV. *fol.* 149. *Incipit physonomia rasys scripta. Anno domini. 1000mo. 300mo. 15mo.* Praeit Index *De signis colligentibus scientiam cognoscendi complexiones.* Initium Opusculi: *Corporis complexio ex colore et corporis habitudine et ex tactu et ex operationibus et exeuntibus a corpore cognoscitur* &c. Excerpta sunt haec e *Tractatu II. ad Regem Almansorem Abubecri* (non *betri*, ut similitudine literarum *t* et *c* frequenter decepti olim et Librarii scripserunt, et Typographi impresserunt) *Muhammedis Zachariae* filii ab urbe patria in *Persis Rai* dicti *Al-Rasi*, Medici *Arabum* celeberrimi, qui Sec. XI. obiit, ut editionem Opp. *Lugdun.* per *Gilbertum de Villiers* 1511. 8. non *Silbertum*, nec 1510. ut habet *Hambergerus*, et *Basileensem* 1544. f. conferenti patet. In hac edit. Opus *ad Almansorem* ex *Arabico* versum dicitur per *Erhardum Tolemanum.* Lege *Gerardum Toletanum* Medicum non, ut alii, *Cremonensem*, sed *Carmonensem* ab *Andalusiae* Civitate *Carmona.*

XVI. *fol.* 157. *Hic incipit phisionomia aristotilis.* Ita: *Quoniam anime sequuntur corpora et ipse secundum se ipsas non impassibiles* &c. Extat in antiqua hac Ignoti Versione cum *Barth. Coclitis*, *Claud. Achillini* et *Mich. Scoti Physiognomiis* impressa *Papiae per Bernardin. de Garaldis.* 1515. f. Alios ejus Interpretes refert *Fabricius Bibl. gr.* L. III. c. 6. p. 144.

XVII. *fol.* 163. *Hec sunt dicta purgustionis gra qui vero in istis profundius considerare uoluerit ad astrorum scientiam transferat mentem suam.* Quid τὸ *gra?* An *graeca?* Anne *Grammatici?* Quis *Purgustio?* Hoc nomine Grammaticum nullibi gentium reperio. Sed liceat conjectare. Multa in Codice